

482

480

486

476

491

471

431

381

Ende

Anfang

467

Tertius status illius sanctissimi loci talis fuit. Nato
Domino et post in Aegyptum fugato, ad necem innocentum
puerorum processit Herodes, et cum magna furia diversorum
scrutatus est, quaerens in eo puerum Jesum, quia audiverat,
ibi illam puerperam deguisse, cui Magi munera obtulerant,
Et non invento in (178 A) eo pueru diversorum destruxit,
et muros, qui remanserant, dissipavit, nec voluit, ut ibi
amplius esset diversorum. Et ita locus desertus mansit usque
post Domini ascensionem. Beata autem Virgo Maria locum
visitare incepit cum suis sodalibus, ut dictum est fol. 173 B.
Et ex consequenti caeteri fideles accedebant et locum sanctum
honorabant. Post beatae autem Virginis assumtionem, cum
fideles locum venerarentur, commoti sunt super hoc Judaei, et
ipsum locum et ad eum accedentes excommunicaverunt, de-
nuntiantes, locum esse immundum et maledictum, et omnem
ingredientem esse contaminatum, et punitioni obnoxium, et
obturaverunt lapidibus vias, quibus ad locum erat ingressus.
Et mansit locus sic conclusus usque ad tempora Titi et
Vespasiani, qui expugnantes Judaeam et Jerusalem destruentes
ipsos Judaeos per orbem disperserunt, post quorum dispersionem
Christiani terram sanctam inhabitare coeperunt, et locum
dominicae nativitatis mundaverunt et visitaverunt usque ad
tempora Heliae Adriani imperatoris, qui idolis sancta loca
abominabilia Christianis redidit. Nam in loco mortis Christi
super rupem Calvariae posuit statuam Veneris, et in specum
sepulturae Christi collocavit imaginem Jovis, et specum nati-
vitatis Domini ad planetum Adonidis ordinavit, ita, ut in
specu, ubi quondam Christus parvulus vagiit et Virgo castis-
sima puerum fovit, jam Veneris impudicissimae amasius Adonis
plangebatur, ut habet Hieronymus in epistola ad Paulinum
de institutione monachorum. De Adonidis planetu vide etiam
Ezech. VIII. X. 14 et part. II. fol. 140 A et plenius fol. 179 A.
Et ita locus sacer factus fuit Christianis extraneus, imo exosus
propter idololatriam.

Quartus status illius loci sancti talis fuit. Sub cultura
turpi idolorum mansit locus ille ultra trecentos annos, post
quos suscitat Deus spiritum sanctae mulieris, Helenae, Teuto-
nicae, quae imperatrix facta et christianissima effecta,

30*

